

Zur
öffentlichen Prüfung
der Schüler
des Königlichen Katholischen Gymnasiums
in Braunsberg

am 10ten, 11ten und 12ten August 1826

Ladvee

in Abwesenheit des Direktors


glemit ergebenst ein

M. G. Gerlach.



Braunsberg, 1826.
gedruckt bei G. D. Geversdorff.

BRAU
1



DE JANI TEMPLO.

Jani templum Romæ a Numa conditum esse, atque id templum vel clausum vel rese-
ratum pacis bellive indicium fuisse, tot libris eruditorum virorum narratum est, ut nemo
facile ne inter indoctiores quidem ejus rei ignarus reperiatur, utque adeo apud nostros
scriptores templum illud velut in proverbium cesserit. Quae cujus ita sint, operæ pre-
mium facturus esse mihi videor, qui errorem quendam hac de re satis, ni fallor, vulga-
tum paucis indicare animum induxerim.

Primum igitur videamus quidnam veteres scriptores nobis tradiderint, neve tae-
deat nos plures ex iis locos congerere, quoniam ex sola eorum comparatione quid sit
verum eruere possumus. — Si Livium evolvimus, haec sunt quæ I. I, c. 19 legimus:
Numa, mitigandum ferocem populum armorum desuetudine ratus, Janum ad infimum
Argiletum, indicent pacis bellique, fecit; apertus ut in armis esse civitatem, clausus
pacatos circa omnes populos significaret. Bis deinde post Numæ regnum clausus fuit
etc.[“] Illud hoc loco notatu dignum videtur, quod non Jani templum, sed Janus a Nu-
ma exstructus esse dicitur. [“])

Similiter Florus I, 2. „*Numa Ancilia atque Palladium, secreta quaedam imperii*
pignora Ianumque geminum, fidem pacis ac belli, imprimis focum Vestæ virginibus co-
tendum dedit.“ Apparet non de deo deque ejus cultu, sed de eadem illa re, quæ apud
nostros Jani templum appellatur, scriptorem locutum esse.

Vel.

* Possis et alium sensum e verbis Livianis elicere, si deleta interpunctione jun-
gas verba indicem fecit. Tunc Numa non exstructor Jani foret, sed tantum-
modo primus qui instituit ut valvæ ejus bello paterent, pace clauderentur.
Quæ quæstio, quanquam per se haud inutilis, a nostro proposito aliena est.
*)

Vellejus II, 38. eodem modo: „Immane bellicæ civitatis argumentum, quod semel
omnibus regibus, iterum hoc T. Manlio Cos., tertio Augusto principe, certae pacis argumen-
tum Janus geminus clausus dedit.“

Suetonius ab Augusto Janum Quirinum, a Nerone Janum Geminum clausum es-
se narrat. (Oct. 22. Ner. 13.) Unam nimirum rem duobus vocabulis appellat: templi vo-
cabulo abstinet.

De eodem Augusto Horatius, Carm. IV, 15, 9, ita canit: *Vatum duellis Janum
Quirini*, sive ut alii malunt *Quirinum*, *clausit*,“ ubi Gesnerus perperam adscribit:
Janus pro ipso templo dicitur. Quamquam Vir doctissimus per ea, quæ mox subjungit,
suam ipse quodammodo sententiam infirmat.

Neque aliter locutos esse posterioris saeculi scriptores, testis sit Julius Capitolinus
cajus verba sunt e. 26: „*Gordianus aperto Jano gemino, quod signum erat indicti bel-
li, profectus est contra Persas*,“ Similiter Eutropius 9, 2: *Gordianus Janum geminum
aperuit*.

Denique scriptorem græcum affero, Dionem Cassium, qui l. 54. extr. narrat *Ja-
num geminum* ab Augusto clausum esse. *)

Omnes igitur, quos adhuc attulimus, scriptores non templum Jani, sed Janum,
Janum geminum, Janum Quirinum sive Quirini vel clausum vel patefactum memorant.
Est tamen alia quoque loquendi ratio, quum pro Jano portas Jani dictas invenimus.

Sic Aurelius Victor, Vir. ill. 3: „*Portas Jano gemino ædificavit Numa*,“ idemque
e. 79. „*Jani gemini portas Augustus sua manus clausit*,“ — Similiter Dio Cassius 51,
20 (p. 651 ed. Reim.) Augustum *Jani portas clausisse* dicit. — Eadem voce utitur
etiam S. August. de C. D. III, 9 et 10.

Inde haud multum discrepat vocabulum, quo Macrobius usum esse video, qui
Sat. I, 9 tradit, Patulcium et Clusium ideo appellatum esse Janum, quia bello *caulæ
ejus*

*) Quum in oppidi nostri officina typographica græcae literæ non reperiantur, li-
ceat mihi locos, quos e græcis scriptoribus adhibendos putabo, in latinum
sermonem transferre, vel, si ita melius visum erit, græcas voces latinarum
literarum formis exprimere.

eius pateant, pace claudantur. Quae vox locum septum, tum sepimentum quodvis significare videtur, quod aditu homines prohibet, ex quo genere sunt etiam januae.

Tertium denique nomen occurrit, *belli portæ*. Sic Ennius versu quem Horatius Sat, I, 4, 60 nobis servavit, quemque Virgilius Aen. VII. 622 imitatus est:

postquam Discordia tetra

Belli ferratos postes portasque refregit.

Notissimi Virgilii sunt versus Aen. VII. 600 sqq.

Mos erat Hesperio in Latio, quem protenus urbes

Albanæ coluere sacrum, nunc maxima rerum

Roma solit. — — —

Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)

Religione sacræ et sævi formidine Martis;

Centum særei claudunt vectes, æternaque ferri

Robora, nec custos-absistit limine Janus.

Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnæ,

Ipse, Quirinali trabea cinctuque Gab'no

Insignis, reserat stridentia limina Consul;

Ipse vocat pugnas: sequitur tum cetera pubes

Aereaque adsensu conspirant cornua rauco..

Locum integrum hue transscripsi quum et per se gravissimum sit, et nonnulli contineat quibus ad propositum meum efficiendum posthac usuros sum: nunc id sufficiat monuisse, nequaquam Ennium aut Virgilium nova sibi vocabula, poetarum quadam clientia usos, finxisse: nam verbis *sic nomine dicunt* Virgilius satis declarat, se ex consuetudine populi sui locutum esse.

Et sane alii quoque auctores, qui oratione prosa scripserunt, eodem illo vocabulo usi sunt. Sic Plut. de Fort. Rom. p. 322, cuius verba latine ita reddidit Xylander: Ergo tunc Jani quoque bifores portæ (græce uno vocabulo *to dipylon*) quam belli portam vocant, clausæ sunt *) De simili Plutarchi loco postea dicam. — Eodem modo apud S. Augustin. de C. D. III. 9 et 14 belli portæ inveniuntur. Vidi.

*) Veram lectionem Xylander expressit, etsi græca ejus falsam representant.

Vidimus igitur optimum quemque ex antiquis scriptoribus, atque adeo posterioris aevi auctores, e quibus locum unum alterumve idcirco attruli, quoties ædificii illius a Nama exstructi mentionem faciant, id nunquam *templum Jani*, sed vel Janum, vel Jani portam vel belli denique portam appellare: unde efficitur, quoniam nomina rebus fortuito poni non solent, ut porta Jani non fuerit templum, deinde ut recentiores, qui templi vocabulo constantissime utuntur, contra germanam antiquitatis consuetudinem gravioriter peccent, utque falso nominis usu falsam simul rei notionem in lectorum animos intrudant.

Neque tamen reticendum est, esse unum alterumve locum apud veteres, qui sententiæ meæ repugnare videatur, quos locos mox ipse proferam: neque illud negandum est, fieri potuisse ut alii ejus generis loci investigantem me fugerint. Nam quum virorum doctorum opuscula hac de re conscripta in promptu non essent, quum (quod imprimis dolendum videtur) ne Massonii quidem librum *). qui pro doctissimo habetur, inspicere licet, ipse nullo comitante viam ingredi cogebat. Illud vero jam nunc audacter confirmaverim, verum usum loquendi e tot scriptorum consensu recte a me esse definitum: si quis aliter locutus fuerit, eum a communi consuetudine declinasse ideoque nobis non esse imitandum. Adde quod, si qui locus proferretur ubi Numæ ædificium diserte templum vocaretur, ne tum quidem continuo mihi de sententia decadendum esset: constat enim hoc vocabulum sæpiissime usurpatum esse de rebus quæ proprie templo non sunt, ut Cicero curiam, ut rostra, ut Livius (II, 1) Asylum, ut poete multas alias res hoc nomine exornant. **).

Sed redeamus ad eos scriptores quos aliter ac reliquos locutos esse dixi. E latinis quidem unum tantummodo novi, Aurelium Vietrem, cuius verba hæc sunt (Cæs. 23.): *Gordianus in Persas profectus est, cum prius Jani aedes, quas Marcus clauserat, more veterum patentes fecisset.* Recedit auctor, fateor, a vulgatis vocabulis quibus ipse locis supra laudatis usus est (si modo liber de Cæsaribus ab eodem auctore

pro-

*) Jo. Massonii Jani templum Christo nascente reseratum.

**) Has res proprie templo fuisse negavi, communem latinæ linguae usum spectans: etsi scio aliam ejus vocis significationem apud juris pontificii atque auguralis peritos fuisse, qui omnes locos per augures constitutos templo vocabant. v. A. Gell. 14, 7.

profectus est, qui librum de Viris illustribus (composuit), neque tamen dicit Jani portas templum fuisse. Quod si indicare voluisset, *Jani aedem* scribendum erat: quum vero *aedes* numero plurali dicat, hanc vocem pro *aedificio* quolibet posuisse videtur: nihil igitur dicit unde nostræ opinioni periculum immineat. Si cui hæc ratio nostra minus arridet, is perpendat velim, scriptorem hunc omnino non esse optimæ notæ, tum locum nostrum pluribus de causis suspectum esse: nam, præterquam quod verba *quaes* Marcus clauserat prorsus contra historiæ fidem sunt, neminem credo unquam *patentes* facere dixisse pro patefacere. —

At Plutarchus Numa p. 73 pr. hæc dicit: *Est ejus (Jani) templum Romæ bifore quod belli* (male Xylander Martis) *januam* vocant. Igitur quod alio loco a Plutarcho *dipylon* vocatur (v p. 5.), hic templum bifore, *neos dithyros*, nuncupatur. Plura sunt quæ Plutarchi testimonio opponere possim: nam primum consentaneum est ut homini græco in hac re minus fidei tribuamus quam ipsis latinis auctoribus: deinde satis constat Plutarchum, etsi diu Romæ versatum, sëpe in rebus romanis enarrandis in graviores incidisse errores. Postremo græca vox non prorsus idem valet quod templum. Herodus enim I, 181 sqq. tradit, in summa turri quæ Beli templo (*hiero*) imposita erat fuisse *neon*, atque alium *neon* in inferiore templo describit, unde manifestum est *neon* nonnunquam esse templi partem: quamobrem angustiora quoque aedificia, quaæque ad recipiendam adorantium vel sacrificantium multitudinem instructa non erant, neque igitur templa vocari possunt, grecce *neo* dici potuere.

Idem fere dicendum est de Dione Cassio, qui quum duabus locis supra memoratis communem usum loquendi secutus sit tertio loco (l. 53, p. 721. ed. Reim.) narrat, Augustum Jani temenisma claussisse. *Temenos* sive *temenisma* proprie non est aedes sacra sive templum (etsi latinam vocem ab illa derivatam esse vero sit simillimum), sed locus, sed ager, sed area, sed quilibet locus deo diatus profanisque usibus exemptus. Fraeterea, teste Polluce, dicitur pro delubro i. e. pro ea aedium sacrarum parte ubi dei simulacrum statutum est. Ex his significationibus utramcunque eligas, fateberis recte Jani portam *temenon* dici, neque opus esse ut ad templi significationem confingatur. De tertio s. ripitoris græci loco mox video: interim spero me esse, ne eos quidem, quos postremus citavi, auctores opinioni meae adverari.

Jam si querimus, quum adfisciem nostrum templum non fuerit, quid et quale fuisse? nihil attinet nova vocabula circumspectare quae illi fabricae ponimus, quoniam veteres ipsi jamdudum verum nos docuere. Omnes enim uno ore clamant, *janum fuisse*, i. e. transitionem perviam (Cic. N. D. II, 27) sive *portam*, nam praeter haec duo nomina nullum aliud apud eos legitur.

Exstat etiam descriptio hujus Jani apud Procopium de Bello Goth. I, qui tradit, quum Vittiges rex Gothorum Belisarium Romae obsessum teneret, milites nonnullos romanos Jani portas noctu refringere conatos esse, vetere superstitione haud dubie ductos, cuius vestigia aliqua in christianorum animis relicta erant. Verba Procopii, quoniam liber graecus ad manus non est, ex latina versione, eaque non admodum bona, dabo: "Per id tempus Romani quidam Jani fanum aperire tentarunt. — Id vero Jani sacellum totum ex aere constructum fuisse satis constat, et quadrata quadam dimensione locatum, tantaeque amplitudinis quanta integi Jani statua poterat: quae utique et ipsa, cum acnea sit, non minor quam quinquepedalis esse apparet. Por cetera omnia mortali similis, capite duntaxat bifrons, ita ut facies altera in orientem solem divergat, in occidentem altera: portae utrinque et aeneae in faciem alterutram versae — — — Unde has Jani portas perinde neglectas (temporibus christianis) ne bellantes quidem aperiuerent." Ocurrunt quidem hoc loco voces *fanum* et *sacellum*, quas nescio quomodo auctor graece expresserit: sed hic quoque adhibendum est illud quod de Plutarcho supra monui: deinde ex ipsa descriptione manifestum est, rem descriptam longe minorem longeque aliam fuisse, quam ut templi appellationem mereretur. Quis enim unquam nomine illo structuram decoravit, quae tantula esset ut statuam quinquepedalem modo tegeret? Ceterum praeter illa inusitata vocabula vulgari queque uitator scriptor, quum in fine narrationis diserte Jani portas nominet.

Addit Ovidii versum quo poeta Janum deum alloquitur (Fast. I, 257): *Cum tot sint jani, cur stas sacratus in uno?* Unde colligi potest, hunc janum a reliquis qui ubique per urbem conspiciebantur *) diversum non fuisse, nisi qued hi, sive publico sive privatum

*) Exemplo sint illos quos memorat Liv. 41, 27 (32); *janus marmoreus* cui Augustus Pompeji statuam, apud quam Caesar confossum prolapsus est, supposuit, v. Suet. Oct. 31; tum sexcenti illi, quibus per omnes urbis regiones construendi Domitianus Romanis ridiculo fuit, v. Suet. Dom. 13.

tim exstructi, imagine dei carebant, saltem sacratam ejus effigiem nullam continebant. Constatbat igitur duobus brevibus parietibus angustissimo spatio dirematis, in quorum utroque porta facta erat. Et nescio an melius Janus noster parva litera scribatur, ut manifestius appareat non dei nomen sed vocabulum appellativum lectoris ob oculos ponit. Ea quoque causa esse videtur, cur nunquam simpliciter Janus dicatur, sed modo Janus in insimo Argiletto, modo Janus geminus, modo Janus Quirinus. — Ceterum cur Jani haec porta appelletur in promptu est: credebat enim deum, etsi ejus vis ad omnes exitus pertineret, hujus tamen portae propriorem quam ceterarum curam agere, quamobrem eam dei effigie insignem esse voluerunt. Præterea belli porta dicebatur, non quo Marti dicata esset, quod e recentioribus quidam suspicati esse videntur, cuius vero rei apud antiquos ne tenuissimum quidem argumentum invenitur, sed quia ad bellum pertinebat ejusque initium finemque indicabat.

Videamus denique quidnam Romani cogitaverint, quum pacis bellique indicem hanc portam secere. Sed antequam hanc quaestionem instituamus, illud interrogabo: Nonne vel ex hoc ipso more perspicuum est, quod supra demonstravimus, aedificium nostrum non fuisse templum? Quid enim templi valvae ad bellum pacemve spectant? quomodo templum reseratum mota arma, templum clausum concordiam stabilitam significare potest? præsertim si imbelli deo, qualis Janus fuit, dicatum est. — Sed redeamus ad propositum nostrum.

Sunt veteres scriptores qui hujus consuetudinis causas attigerunt. Virgilius Aen. 1, 291 sqq. Jovem de Augusti temporibus ita vaticinantem facit:

Aspera tum positis mitescunt saecula bellis.
Cana Fides et Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt: dirae ferro et compagibus arctis
Claudentur belli portae: Furor impius intus,
Saeva sedens super arma, et centum vinctus aenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Si igitur Virgilio, ejusque imitatoribus, Manilio, Calpurnio, quorum versus adscribere nihil attinet, credimus, clavis portis Romani indicare voluerunt, omnia mala quæ bella comitantur inclusa, vincta, domita esse. Aliter Ovidius Fast. 1, 281:

Pace fores obdo, ne qua discedere possit.

Virgilius itaque Bellum, Ovidius Pacem obditis foribus cohiberi facit. — Apud Lucanum autem

autem non, ut apud Ovidium, Janus Pacem includit, sed contra Pax missa per orbem Ferrea Belligeri compescit limina Jani (Phars. 1, 60), ut v. v. apud Ennium Discordia tetra Belli ferratos postes portasque refringit.

Quid ex his doctissimorum poetarum locis manifesto sibi repugnantibus colligamus? non illud, si quid video, quod Heynius vult (Exc. ad Virg. I. I.), quodque tanto viro placuisse satis demirari non queo: *idem templum et Jani et Belli et Pacis habitum esse*: sed poetas veram moris causam vel ignorasse, vel prout libuit alium aliam finxisse. Scimus enim, quanta Augusti temporibus Romæ fuerit incuria atque ignorantia rerum sacrarum quæ apud proavos summo in honore fuerunt. Ovidius, qui ad libros Fastorum conscribendos accuratius solito in religiones Romanorum inquisivisse credi potest, multis tamen locis erroris convincitur, nonnullis et ipse inscientiam suam fateatur. Quidni idem de Virgilio suspicemur? Adde quod Ovidius sibi ipse parum constet, quum Fast. 1, 121 modo Pacem modo bella Jani portis inclusa fingat. Apud eum enim deus sic loquitur:

Cum libuit Pacem placidis emittere tectis,
Libera perpetuas ambulet illa vias.
Sanguine letifero totus miscebitur orbis,
Ni teneant rigidæ condita bella seræ.

E quibus versibus appareat, quanta levitate romani poetæ talia tractaverint, quum ne id quidem agant ut sibi ipsi constent, nèdum ut antiquæ religionis sensum assequantur.

Valeat igitur poetarum in his rebus auctoritas, quos tum demum audiamus, quum ea, quae per se probabilia sint, afferent. Et sane apud eundem Ovidium inter falsas sinceram quoque vetusti moris causam deprehendisse mihi videor. Versu enim 279 poetæ interroganti:

At eur pace lates, motisque recluderis armis?
deus respondet:

Ut populo redditus pateant ad bella profecto,
Tota patet demta janua nostra sera.

Hunc locum ut recte capiamus illud meminerimus, causam hic indicari vetusti moris, qui ut pleraque fere publicae cærimoniae e vetustioribus temporibus defluxit.

Nam

Nam etsi paulo ante negavi temere esse poetis credendum, haud gravate tamen Virgilio fidem adjungo, qui tradit belli portas diu ante urbem conditam apud Latinos, post Albæ in usu fuisse. Ad illam igitur priscam vet, si ita fas est loqui, caseam antiquitatem redeamus necesse est, illius aevi imaginem ante oculos ponamus, si rectum iudicium de more qui inde manavit facere volumus.

Primitus autem Latinarum civitatum temporibus, praeter rem pecuariam et agriculturam nullum vitæ genus homines sequebantur: qui quum sparsis per agros tuguriis neque conjugum liberorumque corpora, neque armenta et fruges e terra perceptas a repentina vi satis defendere possent, jungere tandem domicilia rudemque illam casarum congeriem validis cingere moenibus coeperunt. Ea origo, ea facies primorum oppidorum. Bella frequentia, sed inter vicinas tantum civitates, ut patriae moenia plerumque in conspectu pugnantium essent. Quoties igitur ad præclium, paucis fortasse passuum millibus ab oppido committendum, vel ad prædam e vicinis agris agendam, robur ci-vium proiectum erat, res ipsa suadebat ut porta oppidi aperta relinquatur; vel unus saltem portæ janus *) donec debellatum esset pateret, ne, si quid adversi pugnantibus accidisset, sive præda onusti insequentium hostium vitarent a ma, mora aliqua citato agmine redeuntibus objiceretur. Illud est quod Ovidius dicit: *Ut populo redditus parteant ad bella proiecto.* Pace vero oppidi portæ clausæ erant, vel una duntaxat portula ad quotidiana negotia obeunda patet: nam in tanta accoliarum immunitate ne pax quidem satis tuta, semperque verendum erat, ne nihil suspicantium, operique rustico intentorum civium tecta subita incursione peterentur. Quum enim artem urbium expugnandarum nondum exegitavissent homines, satis erat ad impetum hostium retundendum, si validae serae foribus obditæ erant.

Tandem vero, postquam præpotentes civitates vicinarum gentium imperio potiti sunt, deficiente continuorum bellorum materia mitescere hominum ingenia cooperunt: inde

*) In portis urbium nonnunquam plures transitus erant, quales hodieque in nostris urbibus, munitis præsertim, reperiuntur: ii autem transitus jani appellabantur. Notissimus est janus dexter portæ Carmentalis, per quem Fabii ad Cremeram profecturi urbe egressi sunt, quemque ob id ipsum posteriores Romani tanquam inominatum vitabant. v. Liv. 2, 49, Ovid. Fast. 2, 201. Hunc quoque janum, perinde atque eum de quo omnis sermo noster institutus est, olim viri eruditii, fortasse etiam Festus, perperam pro Jani templo accepere.

inde pax magis secura, atque bella remotiora: itaque mos antiquus sensim abolitus est, quum portæ tuto semper paterent, quumque, in longinquis militum expeditionibus, illud moræ, quod reserandis portarum valvis redeunti exercitu offerti potuit, pro nihil habendum esset. Quoniam autem, quidquid publice agendum erat, a diis auspicari veteres solebant, dubitari non potest, quin et in militum profectio redituque precatio nes aliæque sacræ cærimoniae factæ fuerint, præsertim quum portarum, quæ tum vel patefaciendæ vel claudendæ erant, deus tutelam gereret Janus, portæque ob id ipsum res sacra essent. More igitur vetusto cessante, in religionem venit hominibus deum usitato honore fraudare: tumque illud factum est, quod apud omnes populos sæpiissime usu venisse observamus, ut, causa veteris consuetudinis sublata, imago saltem ejus consuetudinis retineretur. Non jam obices portarum demendæ erant, ut transitus civibus armatis pateret: sed ne nulla janua proficidente exercitu e prisco more recluderetur, separatam januam *), moenia nulla attingentem, neminem exitu arcentem, exstruxerunt deoque dicarunt, nullo alio consilio quam ut ea, quæ olim solennia ac justa fuerant, quæque religiosis hominibus intermittenda non videbantur, in speciem certe — symbolice quod vocant — persolverentur.

Exposui meam de hujus ritus origine opinionem, quæ, ut nihil aliud habeat quo commendetur, simplex certe atque congruens cum ea ratione, qua tales cærimoniae oriri fere et immutari solent, esse videtur. Restat ut de anili quadam fabula succincte dicam, quæ apud Ovidium Fast. I. 259 sqq. et Met. 14, 775 sqq. et apud Macrobius Sat. I. 9 legitur, et cuius summa hæc est. Ea nocte qua Sabini, Tito Tatio duce, arcem romanam repentina impetu expugnare conati sunt, porta, per quam transeundum iis erat, sponte patefacta est, neque ulla vi humana claudi potuit. Exterriti hoc portento portæ custodes aufugere: itaque arce potiti forent hostes, ni Janus cuius in propinquuo aedem quandam fuisse dicit Macrobius) ingentem vim aquarum calidarum e

terræ

*) Portam exstruere, quæ nihil claudit, a nostris moribus tam alienum est, ut tale inceptum pæne ridiculum nobis videatur, qui nimis fortasse anxie in unaquaque re præsentem quandam utilitatem requirere didicimus. Aliter Romanis visum esse, fidem faciunt tot egregii operis arcus triumphales, quos etiamquam miramur, quique, si verum quærimus, nihil aliud sunt quam portæ ejusmodi inutiles.

terræ visceribus suseitasset, ferventique flumine portam obstruxisset. *) Ad ejus miraculi memoriam traduit morem illum institutum esse, portamque ex hoc eventu *Janualem* esse appellatam.

Nemo non videt hanc fabulam ad originem veteris consuetudinis explicandam, esse excogitatain, quod iis demum temporibus fieri potuit, quibus vera origo in obli-
vionem jam abierat. Quomodo autem auxilium a Jano latum causa ejus moris fieri
potuerit, difficile est intellectu. Ovidius nihil dicit, quod hue pertineat; Macrobius
dicit quidem aliquid, sed nescio an nihil aestimandum sit quod dicit. Nam in fine nar-
rationis suæ hæc adjicit: „Ea re placitum, ut belli tempore, velut ad urbis auxilium
profecto deo, fores (*caulas* paulo ante dixerat) reserarentur.“ Quæ verba vix ullum
probabilem sensum efficere videntur, nisi forte vult, Janum ex urbe hostibus obviam
ire solitum esse, quo nihil magis alienum ab hujus dei natura atque ab ipsa Macrobiis
narratione cogitari potest. Præterea Macrobius per summam negligentiam erravit (nisi
forte ea menda librariis debetur), quum portam, qua Sabini potituri erant, in radice
collis Viminalis positam fuisse dicit: nam primum is collis aliquantum aberat non solum
ab arce, sed etiam ab urbe Romuli (cf. Liv. 1, 44) quare ibi præclium de quo hic sermo
est, factum esse nequit, quum omnes scriptores consentiant in ipsa urbe pugnatum esse;
deinde certo scimus Janum geminum non extra urbem ad collem Viminalem exstructum,
sed in infimo Argileto sub monte Capitolino: quod ex Ovidii quoque narratione perspi-
cum est. Nam portam illam, de qua Macrobius loquitur, nihil aliud esse quam Ja-
num geminum, tum ipsius verba docent, tum Varronis testimonio confirmatur, L. L.
4, 34: „Tertia (porta) est *Janualis*, dicta ab Jano: et ideo ibi positum jani signum,
et jus institutum a Numa Pompilio, ut scribit in annalibus L. Piso, ut sit clausa sem-
per, nisi cum bellum sit.

Possim fortasse causam indicare, quæ Macrobius in hunc errorem induxit, pos-
sum etiam ni fallor totius fabulæ saniorem interpretationem proferre, sed longus esse
solo in re, quæ tanti non est.

Illud unum ex Ovidii et Macrobiis narratione fidem aliquani mereri videtur, quod
dicunt Janum geminum, sive portam Janualem, primis temporibus portam perviam fuis-
se

*) Varro L. L. 4, 32 sub fin: „Lautolæ a lavando, quod ibi ad Janum geminum
aque calidæ fuerunt.“ Vides unde rata sit fabula.

se, moenia urbis, qua iter ad arcem erat, claudentem. Fieri enim potuit ut Romani, quum pomœrio prolatō veterem murum tollerent, huic portæ ideo parcerent, ut in ea sacros ritus, qui proficiscente exercitu fieri solebant, perficere possent. Verisimile est, Romulo regnante, quum omnes finitimæ gentes Romanis infestissimæ essent, quinque civium exiguus numerus ad urbem non contemnendæ magnitudinis tutandam non sufficeret, portas urbis semper obseratas fuisse, nisi quum rex in expeditionem exiisset: Numa forsitan primus fuit, qui portas semper patere jussit, excepta unica Januali, quæ in media urbe e vetere muro remanserat quamque bello patere, pace clausam esse voluit, quemadmodum priore regno omnes urbis portæ bello patefactæ, pace clausæ fuerant.

C. B i e s t e r.

Schul.

Schulnachrichte.

18 $\frac{25}{26}$.

Lehrgegenstände.

Primä.

Ordinarius der Klasse Professor Dr. Gerlach.

- 1) Latein, 8 Stunden wöchentlich. Davon 2 Stunden Tacit. (Agricola); 2 St. Cic. Tusc. quæst. I. II. und III. bis c. 10. H. Oberl. Biester; 2 St. Horat. Carm. I. I. u. II. mit der nöthigen Auswahl; 2 St. Stilübungen, H. Dir. Schmülling. — 2) Griechisch, 6 St. Davon 2 St. Sophoc. Oedip. Tyr. ganz und Oedip. Col. Anfang, H. Dir. Schmülling; 2 St. Plato Gorgias (fast zu Ende), 1 St. Hom. Hymn. in Apoll. et in Merc. 1 St. Grammatik und freigewählte Übungen im Uebersehen aus dem deutschen ins Griechische, Prof. Gerlach. — 3) Hebräisch, 2 St. Nomina und unregelmäßige Verba nach Gesenius durchgenommen und die schwereren Abschnitte der Genesis aus Vaters Lesebuch erklärt, H. Oberl. Biester. — 4) Deutsch, 2 St. Theorie der lyrischen und dramatischen Poesie; deutsche Literaturgeschichte des 18ten Jahrhunderts; deutsche Aufsätze, Prof. Gerlach. Mit dem Unterrichte im Deutschen wurden in möglichst genaue Verbindung gesetzt. 5) Philosophische Vorbereitungsstudien, 2 St. (siehe unten) Prof. Gerlach. — 6) Religion, 2 St. H. Dir. Schmülling. — 7) Geschichte 3 St. Geschichte der Römer unter den Kaisern; mittlere Geschichte bis zu dem Ende des 13ten Jahrhunderts, Prof. Gerlach. — 8) Mathematik 3 St. Die Lehre von den Reihen und Logarithmen und deren Anwendung auf die Lösung verschiedener Aufgaben; der binomische Lehrsatz, die trigonometrische Auflösung der Dreiecke, die Regelschritte, Herr Oberl. Dr. Kruge. — 9) Naturwissenschaften, 2 St. Wiederholung der mathematischen Geographie, die Lehre vom Weltgebäude; hierauf nach vorhergegangener Wiederholung der Statistik die Mechanik H. Dir. Schmülling.

S e k u n d a.

Ordinarius der Klasse Herr Oberlehrer Biester.

1) Latein, 8 St. Davon 2 St. Livius II, 1 - 14. XXI, 7 - 14. H. Oberl. Biester; 2 St. Cic. orat. pro Roseio Amer. H. Lehrer Dr. Bumke; 2 St. Virg. Aen. I. VI. u. VII. H. Lehrer Lingnau; 2 St. Stilübungen 1te Abth. H. Oberl. Biester; 2te Abt. H. L. Lingnau. — 2) Griechisch, 6 St. und zwar 2 St. Hom. Odyss. I. VII. IX. und die Hälfte von I. X. H. Oberl. Dr. Lawerny; 2 St. Xenoph. Cyrop. I, 1 - 5 und 2 St. Grammat. Uebungen nach Nest und Wüstemann, H. Oberl. Biester. — 3) Hebräisch, 2 St. Leseüb.; Formenlehre nach Gesenius bis §. 55. Aus Vaters Leseb. übersetzt, B. Mos. Cap. 1.6. 7. 8. 25. 39. und aus Cap. 41 bis v. 15. H. Oberl. Dr. Lawerny. — 4) Deutsch, 3. St. Darstellung der verschiedenen stilistischen Formen der Prosa, verbunden mit der Lectüre einzelner Fragmente aus deutschen Klassikern; schriftliche Aufsätze, H. Oberl. Dr. Lawerny. — 5) Religion 2 St. H. Religionsl. Dittk. — 6) Geschichte 2 St. mazedonische und römische Geschichte, letztere bis zur Kaiserzeit, Prof. Gerlach. — 7) Geographie 2 St. Der westliche Theil von Europa verbunden mit ethnographischen und historischen Belehrungen, H. Lehrer Dr. Bumke. — 8) Mathematik 3 St. Die unbestimmte Analyse, die Lehre von den arithm. und geom. Reihen, von der Proportion stetiger Größen, von der Ähnlichkeit der Figuren, von den rein geometrischen Messungen in der Epipedometrie, H. Oberl. Dr. Kruge. — 9) Naturwissenschaften, 2 St. die Statik und Hydrostatik; die Lehre von der Lust, den Lustarten, vom Verbrennen und von der Electricität, H. Dir. Schmülling.

Den evangelischen Schülern der beiden oberen Klassen zusammen ertheilte H. Pfarrer Kraß den Religionsunterricht, wöchentlich 2 St.

T e r t i a.

Ordinarius der Klasse Herr Oberlehrer Dr. Kruge.

1) Latein, 8 St. Davon 3 St. Julius Cæs. bell. civil. I. I. und aus I. II. die ersten 15. cap.; 3 St. Grammatik und Stilübungen. H. Oberl. Dr. Lawerny; 2 St. Ovid. Metam. I. I. II. XII. mit Auswahl H. Oberl. Dr. Kruge. — 2) Griechisch, 6 St. Grammatik und schriftliche Uebungen nach der Anleitung von W. H. Blume (vor Öster

